



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Constitutiones Ex Concilio Galteri Archiepiscopi Senonensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

& Henrici regum reverendissimorum congregati sunt episcopi numero octo, Herimannus Agrippinensis archiepiscopus, Theido Virtzeburgensis episcopus, Luitharius Mundanensis episcopus, Dodo Osnaburgensis episcopus, Rihgnouunno Vormatiensis episcopus, Rithuius Stratzburgensis episcopus, Vnuuanus Padeburnensis episcopus, cum abbatibus, aliisque sacri ordinis viris quamplurimis. Qui ipso cooperante, sententias eorum confirmante Domino Christo, in synodali residentes Conuentu, multa utilia ac sanctae Dei ecclesiae profutura saluberrimo tractantes consilio, inter cetera quæ statuerunt, hoc maxime necessarium, & instanti (prob dolor) tempore per abusione frequentissimum cognationis incestum summa cautela vitandum firmauerunt : hoc est, ne ullus Christianus infra septimam generationem nuptias copulare presumat. Hæc apud Iuonem: præter hæc de ipsa nihil.*

CONSTITUTIONES
EX CONCILIO GALTERI
ARCHIEPISCOPI SENONENSIS.

Obiit 923.
archiepi-
scopus 53.

I.

*S*TATVIMVS, vt abbates, & priores conuentuales, qui nec venerint *, nec se excusauerint, prætendendo canonicum impedimentum, per octo dies ab ingressu ecclesiæ suspendantur, & pœna, quantum ad hoc Conciliis statuta est, sub comminatione maioris pœnæ, si aliis annis supra his culpabiles inueniantur *.

II.

Propter scandala grauia quæ ex monialium conuersatione proueniunt, statuimus de monialibus nigris, ne * aliquem dispositum recipient in dominibus suis ab aliquibus personis, nisi de licentia episcopi sui: maxime arcas clericorum, vel laicorum, custodiæ causa minime permittant apud se deponi.

III.

Item communiter omnes in refectorio come-

* Videtur
deesse, ad
Synodū.

* Videtur
deesse.
multen-
tur.

* forte,
aliquid
depositum

16 CONSTITUTIONES GALTERI

dant, & in dormitorio dormiant, nisi ex causa iusta
& necessaria de licentia speciali abbatissæ aliter
fieri permittatur.

IV.

Item cameræ monialium omnes destruantur,
nisi aliqua quæ in susceptione episcopi necessa-
rio retineatur, vel ad infirmariam faciendam, vel
alia de causa quæ episcopo iusta & necessaria vi-
deatur.

V.

Item quod moniales nullatenus exire permit-
tantur, vel extra pernoctare, nisi ex magna causa,
& raro, & abbatissis iniungatur, ne aliter egredi per-
mittantur: & si aliquando abbatissa ex causa iusta
alicui permittat, eidem iniungat quod sine mora
reuertatur.

VI.

Ostia suspecta & superflua obstruantur, circa
hoc autem episcopi diligentiam adhibeant & cu-
ram per se & per ministros suos, & vitas & con-
uersationes ipsarum restringant, vt per eorum dili-
gentiam scandalum, quæ in præsenti de vita earum
proueniunt, sopiantur.

VII.

Statuimus ut omnes iudices, tam ordinarii quam
delegati, temperent se & refrenent a generalibus
excommunicationibus, nec in generali participan-
tes excommunicent, nisi valde grauis & enormis
excessus contingat.

VIII.

Moneantur capitula sacerdotalium personarum,

maxime cathedralia , vt ipsi conueniant , & ordinent , & tractent quod in ecclesiis suis die & nocte , per se & per clericos ecclesiarum , diuinum seruitium assidue , competenter , secundum numerum institutorum , & facultatem ecclesiarum celebretur , & circa seruitum diuinum diligentiam & curam adhibeant efficacem , ita quod modus habendi se in ecclesia , tam in choro quam extra , euidenter & sufficienter , vbi emendatione opus erit , emendetur infra annum .

IX.

Moneantur etiam canonici & clerici sacerdotes , quod ipsi , in habitu suo & aliis , præcepta tradita in generali Concilio fideliter & obedienter obseruent .

X.

Statuimus vt in locis siue prioratibus , vbi conuentualis congregatio solet esse , si facultates illius ecclesiæ suppetant , conuentus ibidem restau-retur .

XI.

Item quod in domibus siue locis vbi solebant esse prioratus , si facultates locorum sufficient , monachi vel canonici regulares ad diuinum seruitium ibidem celebrandum reducantur .

XII.

Monemus abbates & priores conuentuales , quod tot seruitores in abbatiis & prioratibus sibi subditis instituant , si ad hoc sufficient facultates locorum , quot ibi deseruire solent , & ne pensionem siue censum ab eisdem exigant , quem non solent

Concil. Tom. 25.

C

18 IOANNES C. CABILONENSE. CONRADVS I. IMPERATOR.
P.X. CAROLVS SIMPLEX R. FR.
exigere ab antiquo , nisi forte alicui ex iusta causa
ab episcopo suo permittatur.

XIII.

Statuimus quod clerici ribaldi, maxime qui vulgo dicuntur de familia Goliæ , pér episcopos , archidiaconos , officiales , & decanos Christianitatis tonderi præcipiantur , vel etiam radi , ita quod eis non remaneat tonsura clericalis , ita tamen quod sine periculo & scandalo ista fiant.

XIV.

Item antiquum statutum Concilii prouincialis rursus renouantes præcipimus , quod quando aliqua terra propter delictum domini terræ vel balliuorum supposita fuit interdicto, nullatenus relaxetur, donec ad arbitrium & moderamen relaxantis presbyteris parochialibus de damnis & de perditis interdicti occasione illatis plane fuerit satisfactum, vel de satisfaciendo cautum.

CONCILIVM CABILONENSE

IN ECCLESIA SANCTI MARCELLI

ANNO
CHRISTI
915.

martyris in suburbio.

IN hac Synodo , ut rerum Burgundicarum scriptores narrant, Roculfus comes Matisconensis , cum res ecclesiæ illius peruersisset, intentatæ , ni pareret , excommunicationis metu , ablata restituere coactus est. Adfuisse autem Synodo narrant Austerium archiepiscopum Lugdunensem , Leoninum item Vesontionensem , & Agium Narbonensem , Ardradum Cabilonensem , Elisacharem Bellicensem , & Odelardum Maurianensem episcopos .